ante uel post una separata ab alia in areis pastinatis plantentur cum radiculis quas habent per unam spaciam distantes et quatuor digitis ~~subingrata~~ submergantur in sulcis et duobus uel tribus annis dimittantur et quolibet anno de mense aprilis si tunc folia sunt sicca et de mense madii et Junii et Julii si erba nascitur in areis uincatur sappando terram per totum in superficie per duos digitos deorsum ut non tangantur cepe. Et si placuit circa finem augusti aut de mense septembris rigatur terra in area et ab omni viriditate mundetur deinde nascentibus floribus colligantur et crocus siccetur ad lentum ignem et aliquo loco clausus servatur et elapsis duobus uel tribus annis totum euellitur de mense aprilis et iterum plantatur ut dixi. ¶ Terram desiderat cretosam uel mediocrem et post optime plantari ubi fuerint cepe cum sunt euulse. Et est sciendum quod crocus non multum leditur umbris sed plurimum leditur a muribus qui sub terra comedunt cepas eius. Contra quos nichil tantum ualet quantum tenere cupulas iuxta eorum foramine et sulcos cauos inter areas facere qui eum defendant ab humore aquoso quem ualde timet et preter hec sunt impedientes transitum murium et talparum que multum appetunt cepas eius.

¶ Crocus est calidus et siccus in primo gradu et in suis qualitatibus temperatus et omnino confortativus. Unde contra debilitatem et defectum cordis multum ualet ruborem oculorum ex sanguine et maculam tollit si tritum cum rosis et uitello oui oculo apponatur dicit dyascorides. ¶ Item qui crocum prius bibit ebrietatem et crapulam non timebit. Item corone ex eo facte non permittunt homines inebriari. Item sompnum facit et stimulare uenerem ut dicit plinius. Item dicit quod curat morsus serpentum et araneorum et puncturas scorpionum

Cepule maligne plantantur ut porri scilicet una in foramine per unum pedem distantes que magnum caspum faciunt quo postea utimur estate sequenti post pascha resurrectionis et fere sunt eiusdem complexionis cum aliis cepis

Cardinus seritur mense martii terram scerosam diligit et solutam quamuis in pingui possit melius provenire. Et

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1070/0301
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG